



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De existentia causæ in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

per actionem possibilem denominetur potens agere, siue operari: ceterum cum hoc coherere, quod per suamet essentiam, & entitatem sit ita potens, ac relata ad effectum possibilem. Nec verò absurdum alicui videri debet, quod in causa creata sit duplex denominatio potentis operari: altera omnino intrinseca, partim extrinseca: quandoquidem in Dialectica lib. ultimo, cum sermo esset de essentia veritatis, demonstratum est à nobis, quod in omni actu essentialiter vero sit duplex denominatio veri: nimirum præter essentialem, alia quadatenus extrinseca, & proficiens ab objecto: necnon alias non paucas denominationes id habere, vt earum quælibet in suo genere sit gemina, & multiplex. Ex his concluditur, quam probabile est, omnes causas creatas de facto existentes referri transcendentaliter ad suos effectus, tam certum mihi videri, absoluteque tuendum, saltem possibles esse alterius ordinis causas, creatas, siue secundas, quæ ita ad suos referantur effectus, essentialemque cum iis connexionem fortiantur.



TRACTATUS III.

De existentia causa in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quatenus existentia ad causandum necessaria sit?

I. SERO primò: Existentia ad causandum essentialiter requiritur, ita vt nihil causare possit etiam diuinitus, quin actu existat, aut secundum se, aut in aliqua temporis differentia. Hæc assertio nulli non placitura luadetur, primò: quia quid manifestius, quam quod non habet esse, esse conferre non posse, & quod non est actu, actu operari non posse? Secundo: quia non esset, cur Pater æternus foret realiter improductus à secunda, & tertia persona: quod enim pro priori signo originis, quo Pater existens secundam, & tertiam personam anteuertit, nondum esse existentes intelligantur, non obest, quo minus pro eo signo ab iis nondum existentibus Pater producat: siquidem existentia ad causandum necessaria non est: aliunde verò produci non magis in Patre, quam in reliquis personis imperfectionem arguere posset. Pari ratione non esset, cur mutua causalitas, tractatu sequenti impugnanda, repugnaret: licet enim pro priori natura, quo causa effectum anteuertit, effectus nondum existat: non erit, cur ab effectum pro eo priori dependere nequeat, cum existentia ad causandum minimè requiratur. Vnde merito Aristoteles 4. Metaphys. cap. 4. t. 16. hanc doctrinam non tam docet, quam supponit: ea, que non sunt, quæ pacto aut loquuntur, aut ambulabunt: id ipsum docent plerique Patres: vnus pro omnibus sufficit Gregorius Thaumaturgus disput. de anima ibi: *nisi forte ita quis insanat, vt id, quod non est, eius quod est, causam esse asserat.*

2. Allero secundo: res quo non existit instanti, diuinitus causare potest, idque esto immediate

ante non extiterit: pro cuius probatione animaduertendum est, quamcunque rem duplicem sortiari existentiam: aliam absolutam, permanentem, & secundum se, quæ cum essentia rei realiter identificatur: aliam respectiuam, successiuam, & in tempore, à re realiter distinctam, nimirum durationem successiuam: quæ vel ultra existentiam rei secundum se instans temporis realiter distinctum intime complectitur: vel est modus, qui rem durantem, & instans fluxum, at que caducum interiacet. Prior autem existentia à posteriori realiter separabilis est more reliquorum, quæ in creatis realiter distinguuntur. Quibus constitutis in hunc modum argumentor: Vt aliqua res causare possit saltem diuinitus in instanti A. verbi gratia, tantum opus est, vt simpliciter, & absolute existat: at potest absolute, & simpliciter res existere, esto in instanti A. non existat, eo modo quo à nobis explicabitur infra lib. 7. tract. 2. cap. 5. igitur potest res aliqua diuinitus operari in instanti A, tamen si in eo minimè existat. Maior perspicua est: quia rationes à nobis paulo supra proposita ad probandam necessitatem existentia ad causandum, de existentia absolute, & secundum se sumpta duntaxat procedunt. Minor etiam perspicua est: siquidem existentia absoluta permanens, & secundum se Petri verbi gratia est realiter separabilis à duratione, qua in instanti A. existit, & absque ea reperiri potest: at per existentiam absolutam, & permanentem, siue secundum se Petrus absolute, & simpliciter existens denominatur: ergo in sensu diuino durationis A, & quin illa detur, Petrus absolute, & simpliciter existit, sicut ad operandum oportet.

3. Allero tertio: res quo non existit instanti naturaliter causare nequit. Hæc assertio est omnium Philosophorum demptis Thomistis apud Hurtadum disp. 8. Physicor. eam perspicue docet Aristoteles 2. Physicor. cap. 3. t. 36. & 37. ibi: *quæ efficiunt vt singula, atque ea, quorum sunt causa, simul sunt, & non sunt*: quasi diceret, existente effectum causam simul existere, & non existente causa effectum simul non existere. Probatur manifesta experientia: quis enim vspiciamus gentium ignem, postquam extinctus est, & quo non existit instanti, amburere? canem, postquam mortuus est, mordere? hominem, postquam decessit, moueri? aut causam vllam, postquam destructa est, adhuc operari conspexit, aut audiuit? Complures sanè ab inimicis interfecti se proculdubio vlcerentur, si cum vita vindiæ omnis potestatem non amitterent.

4. Deinde: res, quo non existit instanti, naturaliter operari nequit, esto statim extitura sit, vt vel ipsi Thomistæ fatentur, & de se manifestum est: ergo etiam res, quo non existit instanti, naturaliter operari nequit, quantumuis immediate ante extiterit. Consequentia in aperto est: quia tam non existit modò, quod extitit, quam quod extititum est; & tam extitisse, quam extititum esse ex æquo est denominatio extrinseca rei, prout ad præsentem temporis differentiam refertur: cur ergo vna denominatio, potius quam alia ad operandum proficit? Præterea: si causa nunquam extitisset, aut certe in instanti immediate antecedenti non extitisset naturaliter operari non posset in hoc instanti, quo non existit, vt ipsi aduersarij fatentur: ergo esto in instanti immediate antecedenti causa extiterit, tamen in hoc instanti, quo

quo non existit, operari naturaliter nequit: siquidem tam non manet in hoc instanti, quod solum immediate ante extitit, quam quod nunquam, aut certe immediate ante non extitit.

Quod autem dicunt, manere causam virtualiter, non formaliter; in esse causae, non in esse entis omnino friuolum est: quia causam, quo non existit instanti, manere virtualiter, & in esse causae; aut est manere actionem causae non manente causa, & ita principium repetitur, & non ratio pro conclusione, sed conclusio pro ratione redditur; aut est manere virtutem aliquam causae ab ea relictam: & hoc nihil dictum est, cum non sit, causam, quo non existit instanti, verè operari; sed virtutem in hoc instanti existentem in eo operari, de quo quis vnquam dubitauit? Quid? quod eadem ratione defendi posset, causam tantum extitit, quo nondum existit instanti, operari posse: eo quod in illo virtualiter, & in esse causae existat; nec non causam immediate ante non existentem, sed quae mille retro annis extitit, in hoc instanti, quo non existit, naturaliter operari posse; scilicet quia in illo virtualiter, & in esse causae existit.

CAPVT II.

Argumenta contraria soluuntur.

6. Obiicies contra primam assertionem: id quod non existit, potest tamen esse causa intrinseca entis: ergo à fortiori causa eius extrinseca esse potest. Antecedens suadetur: primò, quia veritas actus intellectus est ens, & denominatio quaedam vera, & realis: at constituitur, & intrinsecè causatur ab obiecto, quod saepe sapius non existit. Secundo, quia ens artificiale, cathedra verbi gratia est verum, & reale ens: at constituitur formaliter iuxta pleròsque Recentiores iis vbicationibus, & simul carentia aliarum vbicationum; quae carentia simpliciter quid existens non est. Respondeo: id quod non existit, causa intrinsecè constitutiva esse nequit alicuius, quod adequatè, & simpliciter existens, siue ens in actu sit: concreta autem per accidens in argumento adducta vel adequatè, ac simpliciter entia non sunt: vel certe aliquo non existenti minimè constituantur; quod de secundo concreto mihi exploratissimum est.

7. Obiiciunt contra secundam assertionem nostri Recentiores. Causa materialis diuinitus causare nequit eo temporis articulo, quo non existit: ergo idem de reliquis causis dicendum est. Antecedens suadetur: quia causa materialis intrinsecè vniri debet formae, quam materialiter causat, vel per ipsam causalitatem materiale, vel per modum alium ab ea causalitate deriuatum: & nihil intrinsecè vniri potest alicui in eo instanti, in quo non existit: quo enim pacto quod non existit in instanti A, in eo tamen vniri possit albedini, ab eòve album denominari? igitur nihil causare materialiter potest in instanti, in quo non existit. Obiiciunt secundo: quia alias homo mortuus posset sentire, & ratiocinari, mereri, & demereri, quo nihil absurdius fingi potest. Obiiciunt tertio: modus existere nequit, etiam diuinitus, sine re, cuius est modus in aliquo instanti.

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

ti: at actio est modus causae: igitur diuinitus nequit existere actio in instanti A. v.g. quin in eodem causa, siue agens existat.

Ad primum respondeo, vnionem postulare coexistentiam essentialiter in eodem instanti suorum extremorum, praesertim si informatiua sit, ob rationes propositas. Cum ergo causalitas causae materialis sit vnio quaedam causae materialis cum suo effectu, vt infra lib. 5. tract. 3. cap. 3. constabit; sanè causa materialis, & eius effectus in eodem instanti non esse non poterunt: at haec ratio in causis extrinsecis, de quibus solum loquimur, minimè militat. Ad secundum respondeo, hominem mortuum diuinitus sentire, & discurre, mereri, & demereri posse vi existentia absolute, & permanentis; quae quia indiuisibilis est, semel habita, in hoc instanti non haberi potest; at absolute non haberi nequit: quod si sermo sit de homine mortuo pro instanti, quo iam est mortuus; ita quidem fatendum est, illum pro eo instanti haud posse, etiam diuinitus sentire, discurre, mereri, aut demereri: quia ad huiusmodi denominationes opus est vnione informatiua, qua necessario debet cum carere, vt praedictum est in solutione superioris argumenti. Hinc tamen haud bene arguitur ad alias operationes transeuntes, ad quas nulla requiritur vnio, vt paulo supra monitum. Ad tertium respondeo, actionem esse modum causae, non tamen necessariò ei iutrinsecum, sed eum, qui vel de facto causae extrinsecus est, vt plerique aduersarij docent; vel certe qui ei extrinsecus esse possit, ac soli passo intrinsecus: quocirca sicut cognitio in aliquo instanti existere potest, in quo eius obiectum minimè existit, quia est modus obiecti ei extrinsecus, & soli intellectui intrinsecus: ita similiter actio, &c.

Obiiciunt Thomistae contra tertiam assertionem. Primò: dispositiones praeuiae ad formam geniti eam dispositiue causant in eo instanti, quo primum producit, & introducit: at in eo instanti ea dispositiones non existunt: alias accidentia aliqua corrupti in genito manerent, cum dispositiones ad formam geniti in corrupto praetiterint. Secundo: quia Sacramenta physice causant gratiam: at eam causant, quo non existunt instanti: verba enim Baptismi gratiam baptismalem efficere nequeunt, nisi postquam prolata fuerint: iam autem prolata nunc non existunt, sed tantum immediate ante extiterunt. Tertio: vt vnium corpus naturaliter agat in aliud, sufficit contiguitas vtriusque absque penetratione in eodem loco: ergo vt causa effectum producat, sufficiens erit contiguitas inter existentiam vtriusque absque eo, quod in eodem instanti simul existant.

Ad primum respondeo, doctrinam de resolutione facta vsque ad primam materiam corrupti omnino commentitiam, & improbabilem esse, vt l. 5. tract. 5. c. 2. ostendimus. Ad secundum: quid sit de causalitate Sacramentorum, an physica, vel solum moralis sit: certè verba Sacramentorum, si physice gratiam causant, id praestabunt non se totis, sed secundum vltimam sui partem gratiae productae coexistentem: aut dici potest, verba Sacramentorum, quo non existunt instanti, physice causare gratiam: ceterum id non naturaliter, sed miraculose euenire: ita vt in productione gratiae duo miracula concurrant, alterum in eius productione

p à causa

à causa quoad entitatem naturali: alterum vero in eius productione à causa non existenti. Ad tertium: à loco ad tempus perperam arguitur: aliàs qua ratione causa effectum à se loco distitum producere potest, eadem ratione effectum à se tempore distantum producere posset: & sicut contiguitas localis vnde quaque sit, æquè ad operandum sufficit: ita contiguitas temporanea vnde quaque esset, & siue causa effectum anteverteret, siue immediate subsequeretur; ea, inquam, contiguitas ad operandum sufficeret: quæ tamen Thomistæ diffidentur.

TRACTATUS IV.

De prioritate causa in communi.

CAPVT PRIMVM.

An prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit?

I. **D**EST: an aliquid se ipsum immediate causare, seu ipso immediate prius naturæ esse possit? Prioritas autem naturæ, cuius meminit Aristoteles in postprædicamentis & 3. Metaphys. cap. 1. in eo præcisè sita est, quod aliquid sit causa alterius: vnde illud in aliquo signo naturæ prius alio existit, quod est causa alterius, vel alterius causam intrinsece complet, & constituit; illud quæ in aliquo signo naturæ posterius alio existit, quod alterius effectus est. Prioritas naturæ alia est in actu primo, qua causa effectum causare potest: alia in actu secundo, qua cum actu causat. Deinde prioritas naturæ alia est in quo: alia est à quo. Prioritas naturæ in quo est prioritas naturæ cum prioritate temporis coniuncta: cum enim prioritas in quo sit prioritas temporis, sicut prioritas à quo est prioritas naturæ, sanè prioritas naturæ in quo erit vtriusque prioritatis complexio quædam: quare tum causa effectum prioritate naturæ in quo anteverteret, cum causa effectum prior tempore fuerit: prioritas naturæ à quo est mera prioritas naturæ, ut iam iam aiebam.

2. Prioritati naturæ affinis est duplex alia prioritas, originis nimirum, & virtualis: prioritas originis est, qua vnum aliud realiter producit, aut producere potest absque eo, quod alterius causa sit; hæc prioritas in solas personas diuinas conuenit, & Theologici muneris est. Prioritas virtualis, est qua vnum alterius principium non reale, sed virtuale est: sicut enim quod realiter distinguitur ab alio, illud realiter causare, & producere potest haud raro: ita similiter quod virtualiter distinguitur ab alio, illud sæpè sæpius producere, & causare poterit: quoties autem duo prædicata virtualiter distincta ita inuicem comparata sunt, ut si realiter distincta essent, vnum realiter ab alio causaretur; tunc vnum virtualiter aliud causat, atque producit: qua ratione cognitio diuina amorem diuinum virtualiter causat, & producit; quia si ab eo esset realiter distincta, eum realiter produceret: haud secus ac cognitio creata amorem à se realiter distinctum in aliquo genere causæ realiter causat, & producit. Deinde quoties duo prædicata virtualiter distincta respiciunt connotata

naturæ priora, & posteriora, seu inuicem realiter producta, & producentia; tunc prædicatum illud, quod respicit connotata naturæ priora, erit prius virtualiter prædicato, quod respicit connotata naturæ posteriora: qua ratione animalitas rationalitatem, & intellectus voluntatem virtualiter antecedunt: nimirum quia sensus discursus, & intellectus volitionem naturæ antecedunt, & realiter causant.

Quibus constitutis, negatiua pars questionis in titulo præfixæ suadet. Primo à priori: quia causa est principium influens esse in aliud: ergo in se ipsam influere, seu ipsam causare nequit. Secundo à posteriori: quia ex processione diuinarum personarum, qua secunda à prima, & tertia à secunda, & prima realiter procedit, earum realis distinctio colligitur, iuxta illud Theologicum effectum à nemine non receptum: in diuinis omnia sunt vnum, nisi ubi obest relationis oppositio: at, si idem se ipsum causare, aut producere posset, ex productione, qua aliæ personæ diuinæ ab aliis realiter producantur, perperam earum realis distinctio colligeretur. Tertio: quia si idem se ipsum realiter producere, aut causare posset; cur naturæ diuinæ improducta est, cur se ipsam non producit, & ens à se non solum negatiue, verum etiam positiue est? Quarto: quia nequit aliquid esse prius, & posterius tempore se ipso, ut manifestum est: igitur nequit aliquid esse prius, & posterius naturæ se ipso: siue, quod perinde est, sui ipsius causa, & effectus. Demum id ipsum Patres perspicue docent: vnum pro omnibus sufficiat Bernardus de considerat. ad Eugenium lib. 5. prope medium ibi: à se cepit nihil nisi forte quis putauerit, quod non erat dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequam esset: quibus verbis non imbecillis nostræ sententiæ ratio continetur.

4. Verum P. Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 66. sect. 1. docet, idem causare posse se ipsum immediate per secundam actionem, quæ aliam naturæ priorem supponat; & hac ratione Christum à se ipso physice causari sub speciebus Eucharistiæ. Contra tamen: quia non esset, cur tertia persona à semetipsa improducta esset; seque ipsam per secundam actionem non produceret: sic enim produci imperfectionem in eo arguere nequit; aliàs à Patre, & Filio produci non posset; aliunde verò cum identitate tertiæ personæ secum ipsa coheret. Contra secundo: quia mutua prioritas naturæ repugnat, ut cap. sequenti ostendam, & à P. Suarez admittitur: at in hac eius sententia mutua prioritas declinari non potest: siquidem actio illa secunda existentia per eam producta prior natura esset, cum de conceptu actionis ut sic ea prioritas sit, ut vel ipse Suarez testatur 1. 2. tract. 3. disp. 8. sect. 2. ibi: ordine naturæ actio antecedit terminum, &c. Deinde existentia, à qua actio illa procedit, ea aperte prior est: igitur existentia, & actio, qua se producit, mutuo priores sunt. Rursus: si causa aliqua quoad secundam actionem se se producere posset, etiam quoad primam actionem, aliamque non supponentem se se producere posset: siquidem secunda illa actio, aut est adæquata; & ita se sola sine consortio alterius, cuiusve actionis poterit tribuere esse suo termino: ac proinde esse prima actio, per quam terminus existat & producatur: aut est in adæquata; & ita coniuncta cum alia